



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Lvcii Papae III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974



ANNO
CHRISTI
1181.

VITA ET EPISTOLÆ LVCII PAPÆ III.



VCIVS papa tertius, inquit Vviliel-
mus Tyrius libro 22. capite 7. belli
facti, qui & Humbaldus Ostiensis
episcopus, natione Tuscus, patria
Lucensis, vir grandæuus admodum
& modice literatus, iuxta formam
Concilio Lateranensi tertio præ-
scriptam primus creatus est ponti-

Lucius qua-
lis, & quan-
do papa fa-
ctus.

fex quarto Kalendas Septembris anno Domini 1181. Hic pontifex sui principio ad tranquillitatem Christianam fouendam totum se impendit. Cumque imperator in Italiam contendisset, vt in historia Saxonica libro sexto capite quadragesimosextimo ait Krantzius, exierat vrbe Roma Lucius papa, vt obuiam ei proficisceretur, tractaturus cum illo Christianæ reipublicæ negotia, quæ in Asia nimium cœperunt labefactari. Veronæ conuenerant duo Christianismi culmina. Concurrerat ingens ecclesiasticorum multitudo, reconciliationem deposcens sedis apostolicæ, quod in schismate imperatorem secuti ab antipapis essent ordinati & instituti. Interuenit pro his Fridericus imperator, vt in gratiam sumerentur. Annuit perbenigne pontifex. Sed cum postera die manus illis essent imponendæ singulis, immutatum erat consilium, quod diceret in Concilio Venetiano decreta non posse nisi alio Concilio irritari: promisit autem de proximo alium a se euocandum Cœtum, in quo super his constitueretur. Auditæ sunt Germanorum minæ pro sua consue-

Concil. Tom. 28.

A

tudine: sed nihil ea re moti sunt cardinales. Credebatur autem ea consilii mutatio a Conrado Moguntino & Vvormatiensi pontificibus prodiisse. Inde cœpit imperator tractare cum pontifice super patrimonio potentis per Italiam dominæ Mathildis, quæ sub Henricis imperatoribus patre & filio multa faciebat pro ecclesiâ: & iam rebus humanis excedens multa reliquerat eidem ecclesiâ possidenda, quæ imperator ad ius imperii deuocabat. (erat autem, vt diximus, marchionis Saxonix filia) Sed ex ratione temporum diu ante hanc ætatem emigrasse conuincitur, nisi geminas fuisse, & alteram post alteram in Italia floruisse quis contendat. Diu tum causâ inter sacerdotium & regnum ventilata nihil concludi potuit, & sine fine discessere. *Hæc Krantzjus.*

De eadem ex Arnaldi Lubecensis chronico libro tertio capite decimo Baronius; addens contigisse ibidem de electione episcopi Treuirensis schisma inter imperatorem & pontificem: quæ ab eodem fuse numerantur.

Principes Christianos commouit, vt ad opem ferendam fidelibus qui in Asia contra barbaros præliabantur sese omnes præpararent. Verum, cum eam expeditionem remis velisque accelerari procuraret, morbo correptus Veronæ septimo Kalendas Decembris diem clausit extremum, & in cathedrali ecclesiâ sepulturam sortitus est, anno Domini 1185. postquam quatuor annis, duobus mensibus, & viginti septem diebus curam ecclesiæ habuisset. Lucam ciuitatem, vnde oriundus erat, pluribus muneribus exornauit. Ab imperatore Friderico, quo vsus est familiarissime & amicissime, obtinuit vt in tota Etruria alia moneta locum & vsûm non haberet quam Lucensis, quemadmodum Longobardi aliam non recipiebant nisi Papiensem. Hoc tempore floruit abbas Ioachimus, de quo infra in notis Concilii Lateranensis quarti plura dicemus. Maronitæ detestantes errorem Maronis monothelitæ ad ecclesiæ gremium, retento nomine a sancto Marone abbate, vt aiunt, deriuato, redierunt.

Obitus Lucii.

EPISTOLA I.

LVCII PAPÆ III.

AD EPISCOPOS ET CLERICOS SCOTIÆ.

De absolutione Vvilielmi regis Scotiæ.

Lucius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, episcopis, abbatibus, clero & populo per Scotiam constituto, salutem & apostolicam benedictionem.

CVM regibus tamquam præcellentibus Apostolus statuerit deferendum, dignum est & consonum rationi, vt eos tamquam filios carissimos propensius honoremus, & in deuotione beati Petri & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ annuendo iustis illorum desideriis attendamus. Accepimus autem quod cum carissimus in Christo filius noster Vvilielmus illustris rex Scotorum electioni & consecrationi venerabilis fratris nostri Ioannis episcopi inexorabiliter obuiaret, obtentu literarum sanctæ recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, bonæ memoriæ Rogerus Eboracensis archiepiscopus, & iam episcopus dictus, in eum & regnum & quosdam de regno sententiam excommunicationis promulgarunt. Ceterum venerabilis frater noster Iocelinus Glascuensis episcopus, & dilecti filii Arnaldus de Melros & Osbertus * Kalkoensis abbates, & Vvalterus prior sanctæ Columbæ de Insula, propter hoc ad sedem apostolicam accedentes, sua nobis assertione monstrarunt, quod archiepiscopus excommunicationis in regem, & interdicti in regnum, & episcopus iam dictus in quosdam de regno excommunicationis sententiam protulerunt; quam ex multiplici ratione retractandam fore rationabiliter coram nobis & fratribus ostenderunt. Inde vtique fuit, quod præfato regi tamquam carissimo in Christo filio deferentes, omnem sententiam iam dicti episcopi, pro præfata causa in eum vel suos vel regnum prolatam, de communi consilio fratrum auctoritate apostolica relaxauimus, & statuimus illum & suos excommunicatione, & regnum interdicto ex præscripta sententia nostra non teneri. Quocirca vniuersitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus,

Concil. Tom. 28.

A ij

* Kalr.
fis

quatenus ei tamquam regi catholico & habenti communionem apostolicæ sedis participare minime dubitetis: sed in omnibus illi honorem congruum impendatis. Quanto enim certiores sumus de sinceritate deuotionis illius ecclesiis & personis ecclesiasticis regni sui, tanto amplius eum volumus in omnibus, in quibus secundum Deum possumus, honorari. Datum Veletræ decimosexto Kalendaris Aprilis.

EPISTOLA II.

LVCII PAPÆ III.

AD HENRICVM II. REGEM ANGLIÆ.

Pro subuentione faciendæ terræ Hierosolymitana.

Lucius episcopus seruus seruorum Dei Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

CVM* cuncti prædecessores tui præ ceteris terræ principibus armorum gloria & animi nobilitate longe retro claruerint, eosque fidelium populus habere in sua didicerit aduersitate patronos, merito ad te, non tantum regni sed paternarum virtutum heredem, quadam securitate præsumpta recurritur, ubi populo Christiano imminere periculum, imo exterminium formidatur; ut per brachium regis magnitudinis membris eius impendatur præsidium, qui te, ut ad tantæ gloriæ & prælationis apicem peruenires, sua pietate concessit, & te contra sui nominis impugnatores nefarios murum inexpugnabilem ordinavit. Primum nouerit serenitas tua, iam crebris & molestis super hæc pulsata querelis, qualiter terra Hierosolymitana, specialis hereditas Crucifixi, in qua nostræ salutis sunt prænuntiata mysteria, & ipsius rei exhibitione completa, quam ille qui cuncta condidit in suam sortem peculiari priuilegio deputauit, perfidæ & spurcissimæ gentis attrita & conuallata pressuris, nisi ei celeri remedio succurratur, prona sit ad ruinam; & inde, quod absit, sustineat irreparabilem religio Christiana iacturam. Ille enim Saladinus sancti & tremendi nominis immanissimus persecutor, ita spiritu furoris incanduit, & totius nequitia suæ vires ad interuersionem populi fidelis exercet, ut

* inclvii

nisi immanitatis eius vehemens impetus, quasi obiectis obicibus, reprimatur, certam spem fiduciamque suscipiat, quod Iordanis influat in os eius, & terra aspersione viuifici sanguinis consecrata spurcissimæ superstitionis ipsius contagio polluat, & quam gloriosi & nobiles prædecessores tui a dominio gentis incredulæ multis laboribus & periculis exemerunt, rursus nefando tyranni nequissimi dominio subiugetur. Ob hanc itaque necessitatis & imminentis doloris instantiam magnificentiam tuam apostolicis literis duximus exorandam, imo dilatatis præcordiis summa acclamatione pulsandam, quatenus ad honorem ipsius respiciens, qui te constituit in sublimi, & iuxta nomen magnorum, qui sunt in terris, nomen tibi contulit gloriosum, ad desolationem præfatæ terræ pietatis studio te conuertas, & vt eius confusio in hac parte tollatur, qui pro te in ipsa terra voluit haberi ludibrio, operam adhibeas efficacem; quatenus prædecessorum tuorum vestigia subsecutus, quam ipsi de principis tenebrarum faucibus eripuerunt, in cultu magni Dei per tuam diligentiam, auxiliante Domino, conseruetur. Eo autem curiosius celsitudinem tuam in tanta oppressione angustia conuenit laborare, quod terram ipsam regis intelligis præsidio destitutam, & totam spem defensionis suæ ipsius proceres in tuæ magnitudinis duxerunt patrocínio collocandam. Quod inde clarius tua serenitas potest agnoscere, quod summos terræ illius & magnificos defensores venerabilem fratrem nostrum Heraclium patriarcham, & dilectum filium nostrum magistrum hospitalis ad tuam excellentiam destinarunt, vt ex ipsorum præsentia considerata dignitate perpenderes quanta fuerit necessitatis angustia, pro qua eorum sustinent tamdiu carere præsidio, vt per ipsos facilius ad vota sua tuam deuotionem inclinent. Viros igitur præfatos, tamquam ab ipso Domino tibi destinatos, benigne suscipias, & debita caritate pertractes, eorumque postulationibus tanto facilius acquiescas, quanto grauitatis & honestatis intuitu fauor est eis & gratia exhibenda. Sane recolat prudentia tua, & sollicita secum meditatione reuoluat, promissionem illam qua de impendendo sæpeditæ terræ præsidio tuam celsitudinem obligasti; & ita in hac parte te cautum & studiosum

6 VRBANI PAPÆ III. VITA.

exhibeas, vt te in tremendo iudicio tua conscientia non accuset, & eius qui non fallitur districti Iudicis interrogatio non condemnet.

Extat vnum decretum Lucii aduersus hæreticos, cap. Ad abolendam, extr. de hæreticis.



VITA ET EPISTOLÆ
VRBANI PAPÆ III.

ANNO
CHRIST
1185.

Urbanus
quando e-
lectus?

VRBANVS III. Mediolani natus, ante Lambertus nominatus, ex Mediolanensi archiepiscopo, e genere Cribellorum, statim post Lucium septimo Kalendas Decembris defunctum, miro omnium consensu electus est in pontificem anno Domini 1185. tempore Friderici imperatoris, quem ob iteratam honorum & iurium ecclesie inuasionem iterum excommunicasset, nisi morte præuentus fuisset.

Ierusalē ca-
pitur a Sol-
dano.

Omne suum studium ad reconciliandos Christianorum animos, qui in Syria bellis impliciti erant, conuertit. Verum cum in eiusmodi procurationibus operam luderet, & Christiani principes odiis & dissensionibus intricarentur, Soldanus pluribus locis potitus etiam Hierosolymam suo imperio adiecit 14. Kalendas Octobris, anno postquam a Godefredo recuperata fuerat octogesimo quarto. Ad hæc crucem dominicam ludibrio affectam, regem Hierosolymitanum captum, & aduersariorum copias versus Antiochiam directas esse intelligens, dolore percitus in morbum incidit, ex quo Ferrariæ mortuus est XIII. Kalendas Nouembris anno Domini 1187. cum sedisset annum vnum menses nouem & dies xxv. Ita Rogerus de obitu optimi pontificis, verius & melius sentiens quam schismaticorum fautor Vrspergensis; qui dum Lucii papæ mortem retulisset, hæc suo more scribit: Tunc cardinales qui cum ipso erant, de reditu suo plurimum sunt angustiati; timebant enim ab imperatore aliquam violentiam sibi inferri super electione Romani pontificis. Sane Mediolanensis archiepiscopus ipso secure deduxit vsque Rauennam, quem & ipsi in papam elegerunt, dictusque est Urbanus III. quem multi Turbanum voca-

Obitus Lu-
cii.

Redargui-
tur Vrsper-
gensis.

iii A